



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 38. Papa per Regis Oratorem hac de re sollicitatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

Sæcul. XVI. periculosa re omnino Sacræ Sedis con-
A.C. 1561. filium esse expetendum arbitrati.

§. XXXVIII.

Papa per Regis Oratorem hac de re sollicitatus.

*Memoir.
 pour le Con-
 cil. de Trente
 p. 99. & suiv.*

Itaque Rex Romam ad Insulanum, qui erat ipsius Orator, hac de re literis die vigesima quarta Octobris datis eisdem negotium dedit, ut de soluto Poffiacensi conventu quantocius Papam edoceret: postea tamen Oratori suo injunxit, ut urgente Gallici Regni necessitate Papam sollicitaret, quatenus sacram Cœnam sub utraque panis, & vini specie sumendi facultatem populo tribueret, donec id in Synodo decideretur; eoquod olim idem in primitiva Ecclesia observatum fuisset. His addidit Rex, si vero objiceretur, hanc petitionem in Conciliis fuisse rejectam, tunc respondendum, quod summus Pontifex, cum in plurimis rebus toti regno minus proficuis toties, quoties libuerit, legis gratiam faceret, etiam in hoc maximi momenti negotio suæ potestatis plenitudine, suaque auctoritate uti posset, toti Orbi palam facturus, quantopere pacem, ac Franciæ tranquillitatem exoptaret, cum illa hoc pacto magis certa redderetur: Ceterum Rex de altero articulo, quem Præsules circa Sacerdotum

tum matrimonia libello suo inferuerant, nullam fecit mentionem.

Sæc. XVI.
A.C. 1561.

§. XXXIX.

Gallici Oratoris responsum ad Regem.

Orator recepta Regis epistola mox ad Papæ alloquium admitti petiit, illudque die sexta Novembris obtinuit, cumque Pius IV. Pontifex Regis petitionem primo non omnino rejecisset, Orator rescripsit, quod cum Papa agere cœpisset, ab eoque hoc tulisset responsum: „Semper ea mihi animo meo insedit opinio, quod hic articulus æque, ac ille de Sacerdotum matrimonio (*) „ non

*Mem let. du
l'isle au Roy
du 6. Nov.
p. 110.*

(*) Totum hoc responsum mere confictum esse constat, si enim Rex de connubio Sacerdotum in Oratoris epistola nullam fecit mentionem, quis credat, quod Pontifex ipse de re tam periculosa sponte sua mentionem injicere voluerit? ubinam etiam legitur, quod hic Papa in nupero conclavi ob hanc opinionem pro Lutherano fuerit habitus? apage cum istis fabulis, quas satis frequenter in privatorum scriptis, quæ Gallice *Memoires* vocantur, reperire est, ubi hæreticorum argumenta subdole proponuntur, ac commentitia Pontificum, vel aliorum Virorum illustrium auctoritate fulciuntur.

Hist. Eccles. Tom. XLIV.